

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6347

Auteur(s) : Robert, Rouen, Saint-Lô (prieur)

Bénéficiaire(s) : Gautier [clerc]

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1179-1183]

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Accord entre Robert, prieur de Saint-Lô, et le frère Gautier, clerc.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. De Glanville Léonce, *Histoire du Prieuré de Saint-Lô de Rouen*, ses prieurs, ses privilèges, ses revenus d'après les documents authentiques tirés des archives de la Seine-Inférieure et mis en ordre, Rouen, E. Cagniard, 1890-1891, 2 vol., t. 2, pièces justificatives, n° XIX, p. 329-330.

Texte établi d'après a

Notum sit omnibus presentibus et futuris quod ego Robertus prior Sancti Laudi Roth. totus que eiusdem ecclesie conventus suscepimus in fratrem Galterum clericum filium Radulfi filii Rocelini ita quod omnibus diebus vite sue habebit procuracionem cibi et potus in refectorio nostro aut alibi si voluerit infra eandem domum quantum unus ex canonicis nostris. Et in reditu singulorum itinerum suorum habebit procuracionem equi sui de feno et avena. Inde est quod predictus Galterus dedit nobis viginti libras andegavensium. Preterea dedit et concessit nobis in perpetuam elemosinam pro se et pro animabus patris sui et matris et antecessorum suorum viginti solidatas de redditu suo annuatim reddendas scilicet. XVI sol. in masuris Renaldi Heremite et IIIIor. sol. in domo Durandi carnificis super Renellam. Hanc elemosinam concesserunt et super altare Beati Laudi obtulerunt ipse Galterus et tres sorores eius, scilicet Iohanna cum Ludovico marito suo, et Emma cum Auboldo marito suo, et Hilaria cum Willelmo Pica marito eius. Concessimus insuper eidem Galtero locum qui est inter aulam nostram et turrim Marcheant a fundamento et supra cum toto edificio quod Ricoardus medicus ibi fecit omni vita sua in pace habendum ac habitandum in eo. Ita quod neminem ibidem et nisi ex eius propria voluntate et benigno favore aliquo tempore associabimus. Pro hoc igitur beneficio predictus Galterus utilitati providens ecclesie nostre necnon et anime sue in perpetuam elemosinam item dedit nobis sex solidatas redditus in masura Ricardi Saponarii super Renellam annuente Iohanna sorore sua et Ludovico marito eius. Qui ambo eidem Galtero istum redditum dederunt et penitus reliquerunt. Vt autem prescripta conventio ei firma et stabilis omni vita sua permaneat presenti carta eam et sigillo nostri capituli confirmamus. Actum est hoc in presentia domini Rotrodi Rothom. archiepiscopi. Testibus Domino Roberto de Novo burgo Roth. ecclesie decano. Ivone de Veteri Ponte. Magistro Renaldo et Galtero de Sancto Walerico eiusdem ecclesie archidiaconis. Roberto capellano. et magistro Rogero normanno canonicis. et Berengero presbitero Sancte Marie Rotunde. De laicis Bartolomeo Fergant tunc maiore communie Roth. Nicholao Groignet. Ricardo Foace. Helia de Sto Laudo. Nichol. de Diepa. Roberto filio Claremboldi. Helia Crasso. Willelmo de Brialte. Nigasio Baignart et pluribus aliis.